Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Selectae E Profanis Scriptoribvs Historiae

Heuzet, Jean

Lipsiae, MDCCLVIIII.

VD18 12897531

Capvt LXXX.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17417

Visual Library

Non belle quaedam faciunt duo: sufficit vnus
Huic operi: si vis, vt loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamuis ingentia, Postume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.
Beneficium qui dedisse se dicit, petit.

P. Syrus v. 77.

CAPVT LXXX.

Ingrati ingratos aequo animo feramus.

Seneca 7. benef. c. 27. 1. Graue est ingrati animi vitium, intolerabile, et quod dissociet homines, quod concordiam, qua imbecillitas nostra sulcitur, scindat ac dissipet. Sed vsque eo vulgare est, vt illud, nec qui queritur quidem, effugerit. Cogita tecum, an, quibuscunque debuisti, gratiam retuleris, an omnium te beneficiorum memoria comitetur. Videbis, quae puero data sunt, ante adolescentiam elapsa: quae in iuuenem collata sunt, non perdurasse in senectutem. Si te diligenter excusseris; vitium, de quo quereris, in sinu inuenies. Inique publico irasceris crimini: vt absoluaris, ignosce.

cap. 28.

Ib. c. 26. 2. Ingrati ferendi sunt placido animo, mansueto, magno. Nunquam te tam inhumanus, et immemor, et ingratus tam offendat, vt non tamen dedisse delectet. Nunquam te in has voces iniuria impellat: Vellem non fecisse.

Ib. c. 30. Ingratum meliorem facies ferendo, peiorem exprobrando. Quid opus est maledictis?

dictis? quid querelis? quid insectatione? Vt corporum, ita animorum, molliter vitia tractanda sunt. Vincit malos pertinax bonitas: nec quisquam tam duri infestique adversus diligenda, animi est, vt etiam vi tractus bonos non amet. *cap.* 31.

Si nobis non est relata gratia, quid faciemus? demus, etiamsi multa in irritum data sint. Demus nihilominus aliis, demus ipsis, apud quos iactura facta est. In hoc homine videor beneficium perdidisse: huic ipsi beneficium dabo iterum, et, tanquam bonus agricola, cura cultuque sterilitatem soli vincam. *ibid.* *cap.* 32.

Beneficium saepe dare, docere est reddere. *P. Syr. v.* 78.

3. Non est, quod tardiores faciat ad bene merendum, turba ingratorum. Nam primum nos illam augemus. Deinde ne deos quidem immortales ab hac tam effusa benignitate sacrilegi negligentesque eorum deterrent. Hos sequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur. In dandis beneficiis permaneamus, etiamsi spes praecidatur gratos reperiendi. Ne cessaueris dare: opus tuum perage, et partes boni viri exsequere. Alium re, alium fide, alium gratia, alium consilio, alium praeceptis salubribus adiuua. *Sen. 1. benef. c. 1. cap. 2.*

Landesbibliothek Oldenburg

multates exſecratus eſſe, vt niſi iuſtis de cauſſis nunquam genti cuiquam bellum intulerit.

CAPVT II.

Bellicae fortitudinis exempla.

1. Nunquam omnino periculi fuga committendum eſt, vt imbelles timidique videamur. Sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis ſine cauſſa: quo nihil poteſt eſſe ſtultius. Quapropter in adeundis periculis conſuetudo imitanda medicorum eſt, qui leuiter aegrotantes leniter curant, grauioribus autem morbis periculoſas curationes, et ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempeſtatem aduerſam optare, dementis eſt: ſubuenire autem tempeſtati quauis ratione ſapientis. *Cic. 1. Off. cap. 24.*

Temere in acie verſari, et manu cum hoſte confligere, immane quiddam et belluarum ſimile eſt. Sed quum tempus neceſſitasque poſtulat, decertandum manu eſt, et mors ſeruituti turpitudinique anteponenda. *cap. 23.*

2. Iam Tarquinii, (Roma pulſi) ad Lartem Porſenam, Cluſinum (Etruſcorum) regem, perfugerunt: (qui eorum precibus motus, bellum Romanis intulit, vt eiectos in vrbem reduceret.) Quum (Etruſci) hoſtes adeſſent, (duce Porſena,) (Romani) pro ſe quisque in vrbem ex agris demigrant: vrbem ipſam ſepiunt praeſidiis: alia muris, alia Tiberi (amne) *Linius l. 2. cap. 9.* *cap. 10.*